Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

seruire desidero omnibus diebus uite mee. Et eleuans se apprehen-
dit unum de burdonibus quo portabat feretrum. et sanus factus est
homo ex illa hora. Tunc exeuntes omnes de ciuitate anthiochia
susceperunt corpus sancti Symeonis cum psalmis et ymnis et canti-
cis et lampadibus. portaueruntque in ecclesiam maiorem. et non statu-
erunt in ecclesiam aliam que uocatur penitentia. ubique honorifice
sepultus est. Maiores autem uirtutes faciebat post sepulturam quam in
uita sua. Et homo qui sanus factus est ibi seruiuit usque in diem mortis
sue. Multi atque innumerabiles populi obtulerunt munera episcopo an-
thiochie. poscentes reliquias de corpore eius. sed per iusiurandum
nemini dedit. Ego humilis et peccator antonius sicut potui lectio-
nem hanc breuiter exposui. beatus autem qui habet in libro suo ista scrip-
ta. et legerit in ecclesia et in domo dei et commemorationem eius fecerit.
mercedem ab altissimo accipiet. amen. VIII. idus ianuarii.

Passio sancti iuliani martiris.

In diebus illis adueniens
anthiochiam martianus preses. ita in amore idolorum sacrilegus
et profanus exarsit. ut non in uilla non in uico remaneret. ubi non simu-
lachra demonum collocaret. Iussit autem ut si quis aliquid aut
emere aut uendere uellet. prius ydolis immolaret. Cumque
audisset beati iuliani fidem. conuocat assessorem suum et iubet
eum ad beatum iulianum uenire. ut cum omnibus suis secundum decreta
principum immolaret. Assessor uero pergit ad locum ubi sanctus iulianus deo
uacabat. ad quem locum multitudo sacerdotum et leuitarum aliorumque
ministrorum ecclesie confugerant. persecutoris rabiem declinantes.
Nunciatur sancto iuliano assessorem iudicis cum principe et primariis
ciuitatis pro foribus esse. Tunc sanctus iulianus armat frontem uexillo cru-
cis. et scuto fidei firmat pectus suum. et iubet eos ingredi. Tunc
assessor iudicis dixit. Puto non te latere iuliane sacratissimorum
principum decreta. quibus mundo subuenitur. ut una sit apud omnes
deorum cultura. Nam dominus meus martianus audiens generis tui nobilem
stirpem. hoc pro sua sapientia decreuit. ut secundum moderationem legum
gratia conueniaris. Sanctus iulianus dixit. Audiantur principum iussa qui eis
mittuntur. nos autem qui regem habemus in celo. terrenum principem contra dei
precepta iubentem penitus non audimus. Assessor dixit. Et hoc potes
gestis edicere. Sanctus iulianus dixit. Gestis aliquid prosequitur qui in hac uita
spem habet. nobis autem quibus crucifixus est mundus. quid nobis cum foro. Assessor
dixit. Ut uideo desperasti de te ut non uiuas. uel istius multitudi-
nis quam tibi aggregasti misereri. Iulianus dixit. Istius multitudinis
uoluntas in dei pendet arbitrio. nam quales me uides loquentem ta-
les sunt omnes isti tacentes. Unus est omnium dominus filius dei. Assessor dixit. Et hec que
prosequeris nuncio domino meo. Iulianus dixit. Quod uerius cognouisti. oc-
cultare non debes. Parati sumus temporalem mortem suscipere. ut in eternum
uiuamus. Assessor dixit. Audio quod et episcopos et omnem clerum tecum aggrega-
tum. Numquid et ipsi discipuli tui effecti sunt. Iulianus dixit. Hii discipuli non
sunt sed patres. per ipsos enim ueram natiuitatem suscepimus. propter quod re dig-
num est. ut filii cum patribus et patres cum filiis ad regna celorum pergamus.
Rediens autem assessor ad presidem martianum. omnia illi intimauit
que dicta fuerant. Tunc martianus preses consilio diaboli armatus hanc de-
dit auctoritatem. ut iulianum solum suis obtutibus suoque audientie
reseruaret. multitudinem uero sanctorum in eodem loco quo degebat. et
laudibus dei uacabat. iussit incendio cremari. Quod ut impletum
est. omnes ibidem igne consumpti sunt. Nunciabatur martiano impletum fuisse
que iusserat. et beatum iulianum sub custodia detineri. Tunc exarsit
inimicus. et sequenti die tribunal sibi preparari iubet in foro. Lycio
presidis precepta complentur. Conueniunt undique omnis etas. omnisque sexus ad-
uenit. ut beatum iulianum in cuius amore pendebat uiderent cum dia-
bolo dimicantem. Tunc preses sub alta uoce iubet beatum iulianum suis
aspectibus presentari. Qui cum fuisset oblatus. intuitus eum martianus dixit.
Tu es iulianus preceptor principum rebellis et diuinorum numinum contu-
max. tu es qui innocentium multitudinem magicis tuis artibus aggre-
gasti. et omnium illorum mentes inmutas. Ad hec beatus iulianus studebat si-
lentio. Ad quem tamen martianus dixit. Ut uideo reatu tuo oppressus. nichil
ad ea que te interrogo ausus es respondere. Iulianus dixit. Rebellis et
sacrilegus numquam fui. sed legi diuine in qua regalia iure mandata
continentur pareo. Nam quod me studentem silentio miraris. tecum loqui
confundor quem uideo tantis mendaciis obuolutum. Nam horum imperatorum
lex quomodo potest esse sancta. que sacrilega operatur. Martianus preses dixit. Doleo
super te quia te sic uideo magicis artibus occupatum. ut non intelligas
quantum ualeant principum iussa. propter quod obediens consequitur laudem. et
principum obtinet amiciciam. Inobediens autem sicut tu dinosceris
penis subiacet. et mortis heres efficitur. Nam audio te tam nobili
familia ortum. ut adhuc natalibus tuis parere dinoscaris. propter quod re-
hortor te ut filium meum. ut ad laudem generis tui diis thura offe-
ras. Hec audiens beatus iulianus dixit. Nos unum deum colimus. qui fecit
celum et terram. Martianus preses dixit. Michi non ubique iussum est agere tecum.
sed audi quid iubeant inuictissimi principes. ut ex eorum lege cognos-
cas. quid te agere oporteat. Iulianus dixit. Quod iubeant audiui. Quod autem
me oporteat facere. salutari consilio definiui. Martianus preses dixit.
Sic tecum debeo agere. quemadmodum cum infirmo medicus. quousque sanitatem
recipias. Quod si te sanum reddidero. et diuinorum numinum cultorem per-
fecero. magnum te in amorem apud principes collocabo. Sanctus iulianus
dixit. Numquam auditum est ut cecus illuminet uidentem. et morbidus cu-
ret sanum. aut errans corrigat recto itinere gradientem. Marti-
anus preses dixit. Ergo ut dicis cecus sum. et morbidus et errans. qui saluti
tue consultum cupio. et tu solus plenam obtines sanitatem. Iulianus
dixit. Hec omnia uite dominationem habent. Nam si uelles te agnoscere. ut
ex toto corde salutem tuam requireres. non te horreret medicus noster. per
quem omnes christiani uerissimam obtinent sanitatem. Deos autem quos colitis de-
mones esse manifestum est. qui sibi credentes perdere possunt. liberare non
possunt. Martianus hec audiens. exclamauit tortoribus suis dicens.
Extendatur ad uerbera. ut sic stulticia eius innotescat. Iulianus dixit.
Non est stulticia nosse deum sed gratia. tu uero preses secularibus oppressus ille-
cebris. quod sit congruum non agnoscis. Martianus preses dixit. Extendite
eum. et fustes nodosos afferte. et omnia membra illius dissipate. Et cum hec
fierent. unus de cedentibus ictu percutientis oculum amisit. et hic erat
de necessariis presidis. qui et in prioribus notissimus fuit. Hec uidens
martianus fremuit dicens. Tantum ualuit magica tua. ut tu
nichil sentias. et aliorum oculos euellas. Sanctus iulianus dixit. Marti-
ane. uides quia hoc est quod superius dixi. Tandem amota seuitia qua in
me bacharis. audi quod propono. Martianus dixit. Si pro salute tua.
audiam te libentissime. Beatus iulianus dixit. Conuoca omnes quos habes
deorum dearumque tuarum probatissimos sacerdotes. et inuocent nomina deorum
suorum super oculum euulsum. et restituant cultori suo uisum. Cum autem
non ualuerint. ego nomen domini ihesu christi inuocabo. et non solum oculum

16